

T10

Epidicus vv. 81-103

Insulti a se stesso

Personaggi in scena

EPIDICUS: servo di Perifane

EPIDICUS Illic hinc abiit. Solus nunc es. Quo in loco haec res sit vides,
 Epidice: nisi quid tibi in tete auxili est, absemptus es.
 Tantae in te impendent ruinae: nisi suffulcis firmiter,
 non potes subsistere, itaque in te inruont montes mali.

- 85 Neque ego nunc quo modo
 me expeditum ex impedito faciam, consilium placet.
 Ego miser perpuli
 meis dolis senem, ut censeret suam sese emere filiam:
 is suo filio
- 90 fidicinam emit, quam ipse amat, quam abiens mandavit mihi.
 Si sibi nunc alteram
- 91a ab legione adduxit animi causa, corium perdidit.
 Nam ubi senex senserit
 sibi data esse verba, virgis dorsum despoltiet meum.
 At enim tu praecave.
- 95 At enimbat enim, nihil est istuc. Plane hoc corruptumst caput.
 Nequam homo es, Epidice.
 Qui lubidost male loqui?
- 97a Quia tu tete deseris.
 Quid faciam? Men rogas?
 Tu quidem antehac aliis solebas dare consilia mutua.
- 100 Aliquid aliqua reperiundumst. Sed ego cesso ire obviam
 adulescenti, ut quid negoti sit sciām. Atque ipse illic est.
 Tristis est. Cum Chaeribulo incedit aequali suo.
 Huc concedam, orationem unde horum placide persequar.